





271<sup>2</sup>  
57  
1724 23  
DISSERTATIO HISTORICA

DE

STATV

CAVSARVM

MATRIMONIALIVM

TEMPORE REFORMATIONIS

QVAM

ANNO MDCCXXVIII. D. XIII. SEPT

SVB PRAESIDIO

MICHAELIS HEINR. REINHARDI

PHILOSOPHIAE MAGISTRI

DEFENDET

RESPONDENS

FRIDER. CHRIST. BAVMEISTERVS

SACROSANCTAE THEOL. STUDIOSVS

VITEBERGAE

LITERIS GAEBERDAE, VIDVAE

DISSEMINATIO HISTORICA  
STATVS  
CAESARVM  
MATRIMONIALIVM  
TEMPORIS REFORMATIONIS  
CIVILIS  
IN REGNO BOHEMIAE  
SACRAE MAJESTATIS  
AUSTRIACAE  
IMPERII  
CHRISTIANISSIMAE  
CATHOLICAE MAJESTATIS  
BOHEMICAE  
SACRAE MAJESTATIS  
AUSTRIACAE  
IMPERII  
CHRISTIANISSIMAE  
CATHOLICAE MAJESTATIS

qu  
re  
co  
ho  
be  
sti  
be  
ro  
lic  
ing  
pe  
ru  
fac  
ex  
du  
no  
TH





THEOLOGORVM SENTENTIAE CIRCA MATRIMONIUM

Q. B. F. F. Q. S.



Vm omnis rerum gestarum cognitio dulcis est, & mirifice hominum animos capit: tum vero illa historia magnam vtilitatem praestat, quae ad vitae vsum spectat, & in his rebus versatur maxime, quibus societas hominum continetur. Qua de causa & operae pretium nos facturos omnino existimamus, si de matrimoniorum causis exponere iam conemur, & ostendere, quae fuerit ipsorum ratio, eo inprimis tempore,

quo & caelestis veritas diuino beneficio restituta est, & quaelibet fere hominum communitio ea ex re aliquam subit mutationem. Quae commentatio multas habebit vtilitates. Nam apparebit, quantum ipsa hominum vita & matrimoniorum ratio, ad leges diuinas reuocata, debeat Luthero, & quanti laboris quantaeque diligentiae fuerit opus sanctissimum piorum coetum humanis iisque molestissimis praeceptis liberare. Quum autem hodie multi diuinitus illius excitati restauratoris aliorumque, quos habuit in veritate vindicanda, adiutorum relicta monumenta hac etiam in parte sollicitare, sugillare, imo ridere ingrati animo audeant, & veritatis interest illorum in se suscipere defensionem, & gratus animus ipse veneranda tantorum viro- rum nomina vindicare iubet. Equidem si a minimis rebus summae saepe res dependent, equis dubitabit in hac de matrimoniorum causis expositione multa vtiliter tradi posse, quae ad publicas res propius accedunt ipsorumque Principum historiam illustrant. Sed intelligo res a nobis describendas non vnus esse generis. Itaque quoniam modo Theologorum, qui doctrinae emendationem vel susceperunt, vel adiun-  
A 2

adiuerunt, sententiae de singulis matrimoniorum causis explicandae modo ratio easdem diiudicandi decidendique consideranda erit, patet, vtrumque argumentum a nobis occupandum & coniungendum esse, atque adeo commentationem nostram in duas partes discedere, quarum altera de Theologorum opinionibus, altera de modo & ratione matrimoniorum controversias inquirendi, iudicandi dirimendique aget

## PARS I

DE

### THEOLOGORVM SENTENTIIS CIRCA MATRIMONIORVM CAVSAS

§. I

**C**VM de matrimoniis multa vtiliter, quaedam autem magis generatim quam alia disputari possint, prius videbimus de illis, vt aditus deinceps fiat ad alia, quae speciatim coniugia spectant. Igitur, quemadmodum Pontificii miri sunt artifices in sacramentorum numero amplificando augendoque, ita, cum animaduertent matrimoniam, descriptis a Deo legibus circumscripta, hunc ipsum ferre auctorem & coniugium imaginem esse Christi cum ecclesia coniuncti, sacramentis eadem accensenda esse pro sua statuendi audacia facile existimauerunt. Equidem dum sub Christianae religionis primordia sacramenta appellata non sunt nisi baptismus & S. caena, *Augustinus* tamen omnium primus ita vocis significatum amplificauit, vt, quicquid rei sacrae signum esset, idem nominaret sacramentum. Hanc incertam notionem secuti *Scholastici* certum sacramentorum numerum constituere conati sunt, aliis septem, aliis plura, aliis pauciora fingentibus, atque inprimis Pontifici percommo- dum accidit, vt matrimonium sacramentum esset. Sic enim *causas Matrimoniales ecclesiasticis tantum iudicibus subiectas fore, sic se prohibitiones suas & impedimenta sua hominum conscientiam tanquam iniicere posse & dispensationes eo carius vendere existimabant*, quemadmodum loquitur *Chemnitius* noster P. II. *Exam. Conc. Trident. p. 436. ad Can. I. Sess. 8.* Primus tamen *Eugenius IV. Pont. Rom.* teste b. *Sam. Schelquigo* in *Reliquis de Polygamia p. 39.* fuit, qui 1439. in concilio Florentino solemnem ea de re legem ferret & sanciret. Quod sicut intolerabili vinculo teneras piorum mentes constringebat & onerabat, ita vir ille Dei *Lutherus* parum se profecisse arbitratu est, nisi & sacramenta ecclesiae ad pristinam reduceret simplicitatem, & matrimonium ipsum iis eximeret & tale, quale esset, stabliliret. Equidem, quod dissimulare nolo, adhuc 1719. *Tom. 1. Alt. f. 299. ff.* in concione vom ehelichen Stande matrimo-  
nium

nium pro sacramento habet. Addit etiam rationem, quod duarum in christo vnitarum naturarum notet mysterium. Verum enim vero neque hac in parte vno conatu veritas ipsi innouit. Labore & tempore opus erat, donec nebulas, hinc auctoritate maiorum, illinc doctrinae antiquitate obuertas, perumperet & dissiparet. Quocirca post-hac & in *Confessione magna* T. III. *Altr. f. 890. ff.* grauiter & perspicue pontificium de coniugii sacramento figmentum refellit & alibi faepius. Etsi autem *Lutherus* matrimonio inter sacramenta locum non dedit, neque tamen ita illud contempsit, vt ad res profanas idem reijceret & ablegaret. Sunt hodie multi, praesertim Iurisperiti, qui cum suo *Christi Thomaso* matrimonium pro mero contractu venditant ciuili &, vt Theologos a cognitione eiusmodi causarum eo felicius repellant, papatus, nescio quas, reliquias crepant & in ecclesia nostra accusant, quod hodieque sacri matrimonii appellatio apud nos solemnis est atque recepta. Quos quidem venerandus *Pater* solidis refutauit argumentis in *Moletenate Nov-Antiquis 1517.* inserto. Pessime autem idem suae consulunt causae, quando *Lutheri* auctoritate cupiunt niti, imo abutuntur. Ecquid enim magis alienum, quam quod *Sam. Frid. Willenbergius* in *Praesid. Iur. diuini §. 16. p. 26.* alioque cum eodem prouocant ad *Lutherum: T. VI. Vit. f. 257. von Ehe-Sachen.* Die Ehe ist ein äusserlich weltlich Ding. Iure hoc dixit & eo ipso matrimonia a rebus spiritualibus distinxit, quorsum aequae minus referenda docet, quam alias hominum actiones ad vitae vsum pertinentes v. g. vti veste, comedere. Nonne idem *Lutherus* eodem in loco monet, Christum & Apostolos de matrimoniis iudicasse, si quando perturbarentur conscientiae & Pauli profert exemplum *i. Cor. VII.* nonne hac ratione faretur eiusmodi causas omnino Theologorum cognitioni & iudicio quoque subiiciendas esse. Aliter nec tamen minus, solide argumentum soluit *vir summe reuer. D. Ioach. Weichmannus* in *Instita Causae Parte Spec. Sect. 2. cap. 3. §. 5.* Quodsi testimoniis istiusmodi delectantur, possent alium adiungere locum *T. II. Altr. f. 290.* Sed eadem est sententia *Lutheri*, & aequae nihil profecisse ducerentur. Ita enim *Lutherus* ait. *Wisse daß die Ehe ein äusserlich leiblich Ding ist, soie andere weltliche Handhierung.* Quid multa. *Lutherus* optimus verborum suorum est interpret *T. III. Altr. f. 890.* Pulcre ibi & distincte vnctionem, matrimonium & presbyterium negat esse sacramenta, quam per se sanctae sint actiones. Certe si per *Lutherum* res staret, firmissime sua matrimonio constaret sanctitas. Neque enim profecto sanctitatem hanc violare vagasque libidines voluit stabilire, quando in concione iam excitata vom ehlichen Leben *Tom. II. Altr. f. 209* sat decantatis vitur verbis. *Will die Frau nicht, so komme die Magd.*

Incredibile dictu est, quantopere *Romanenses Lutherum* ob haec ipsa verba nunquam non criminati sint. Quae tamen, si in argumentationis nexu considerentur, nihil omnino habent incommodi. Facile enim apparet, loqui eum de desertionis casu &, quod si vxor mariti se subtrahat voluntati eundemque deserat, publice id indicandum esse ciuitati obstatamque vxorem a magistratu ad officium adigendam, id si minus succedat, licite desertum maritum aliam in matrimonium sumere feminam, cum omnibus quidem iudicat, nihilominus tamen solus culparur

§. II. Quemadmodum autem hominibus ad suum conseruandum genus benignissime matrimonium Deus concessit, ita Romana tyrannis & sacerdotibus & iis, qui sanctitatem vouerunt, eodem interdixit. Sensim & multo cum tumultu res haec peracta est. Initio quidem Sec. II. & III. *Montanisae & Nouatianae*, quoniam forte Paulum Tit. I. 6. minus recte interpretati sunt, & libidinosas existimauerunt nuptias secundas & sacerdote plane indignas. Nec Cyprianus, Tertullianus admirator, multum ab hac sententia abest. Deinceps longius progressum est. Namque quod ab *Essaeis & Iudaeorum scribis Nicolaitae Gnosticorumque Lemitae* acceperunt, *Origenes* autem alique approbarunt, dum propter coelibatum se perfectiores aliis esse sibi persuaserunt & fideis Apostolorum scriptis inprimis *Theclae* fabula in eo confirmati sunt, non mirum est, quod iam Sec. IV. ineunte & in Hispania ab *Elibertana Synodo* & in Gallis a *synodo Arelatensi secunda* clericis iniunctum fuit, vt vxorum consuetudine abstinerent & in Armenia *Eustachius* Episcopatu deiectus, monachatumque primus ibi stabiliens, coelibatus votum a suis exegit. Sed in *Concilio Nicaeno Paphnutii Confessoris* grauissima intercessione factum est, vt & priorum synodorum decreta de coelibatu facta abrogarentur, & deinceps *Synodus Gangrensis Eustachii* instituta antiquaret. Sed enim vero dum hinc apud Latinos *Hieronymus & Ambrosius*, illinc *Epiphanius* inter Graecos coelibes summis extulerunt laudibus, atque Sec. VII. inualuit opinio de bonorum operum adeoque coelibatus meritis, facile fuit Romano Pontifici iteratis itentidem legibus coelibatum sancire sacerdotum & ipsorum coniugia inter scortationes & libidines, quibus sacra facienda polluerentur, daemoniaca doctrina referre. Causa quidem, quare Episcopi Romani tanto nisu & conatu ea de re contenderint, ex ipso Episcopo *Pelagio Dissin. 28.* intelligi potest. Qui circa annum 538. Syracusanis Episcopum maritum se concessurum negat propterea, ne ecclesiae opes hac ratione faciant iacturam. Illud quoque memorabile est, quod in nullis non terris in Christianismi primordiis Christianorum sacerdotibus pro arbitrio licuit vxore vti aut abstinere. Prout autem prouincia magis fauebat coelibidem



batui ita prius ibidem institutus est, sicut in Galliis factum accepimus, aut prout magis aberat a Roma, ita serius eundem admisit. Ex quo evenit, vt in Italia, Africa, Gallia & Hispania omnium primo, deinde in Britannia atque Germania, tardissime in septentrionis terris capere potuerit incrementa. Pontifices quidem interminationibus publicis, muneribus ablati, Principum potentia & inprimis monachorum Benedictinorum ope, qui & sanctitatis laude florebant, & declamationibus suis sacerdotum matrimonia in summum apud vulgus odium adduxerunt, effecere, vt sacerdotes vxores dimitterent, vel se nunquam ducturos pollicerentur inuiti. Sec. XI. & XII. res maxime cum summa vi atque impetu acta est. Itaque Theologi Vitebergenses in iudicio de 4. articulis in Angliam misso, testantur, inquit, historiae, hunc morem vxores ducendi vi in Hispania & Germania mutatum esse vid. *Seckendorffii Hist. Luter. L. III. §. 78. ad 3. p. 267.* Nec minus Pontificis ista tyrannide in Britannia, Bohemia atque septentrionis partibus grauissimi motus excitati sunt. Id quod luculenter exponit *Chemnitius P. III. Concil. Trident. Exam. p. 140. §. ad can. IX. sess. VIII.* Germaniam quidem *Gregorius VII.* ecclesiae aequae ac Principum potentiae insensibilis & *Calixtus II.* sub Sec. XI. finem tandem subegerunt. Quibus tum votorum vinculis tum iniquissimis Pontificum decretis incredibile quantum occultarum libidinum scortationis & adulterii inuectum sit. Qua de re omnia rerum monumenta loquuntur & cum Germaniae Principes in comitiis Norimbergenfibus 1223 centum gratiamina Adriano Pont. Rom. transmitterent, inter illa non fuit postremum de flagitiis clericorum, quae inprimis ob interdicta matrimonia per impudicitiam committunt & aere redimunt conf. *Seckendorffius l. c. L. I. §. 145. p. 256.* *Zuinglius* autem apud *Sleidanum L. III. Comment. p. 147. b.* tradit, nonnullis in Heluetiorum pagis hunc esse morem, quum nouum quempiam ecclesiae ministrum recipiunt, vt iubeant eum habere, ne concubinam, ne pudicitiam alienam tentet. Quibus malis vt menderentur, & *Sigismundus Imperator 1430. in formula reformationis cleri Basileensi concilio proponenda, Argentorati deinceps 1520 edita,* statuit *uelius & animae tutius esse, vt iuxta ritum ecclesiae orientalis clericis licentia concedatur contrahendi matrimonia & postea Pius II. P. R. iudicauit. Sacerdotibus magna ratione sublatae nuptias, maiori resistendas videri, id quod Platina commemorat in eius vita.* Ex priuatis autem hominibus plures, prouti Papatus errores propius introspectere, ita etiam hac de re grauissime conuesti sunt. Inter quos eminet *Io. de Vessetia, Lux mundi,* cuius doctrinam Lutherus suae simillimam eiusque libros dignos iudicauit 1522, quos in lucem ederet. Obiit ille 1580. In *sarragine autem rerum Theologicarum* edit. Amstelod. 1617. a *Io. Lydio*

... curatae p. 72. de voto coelibatus recte cenfer. flultam promiffio-  
nem displicere Deo, ficut impia iuramenta non obligant contra falu-  
tem. Quin imo *Picardi* cum *Huffi* doctrina inlituti a Pontifice difcef-  
fere in multis, tum vero matrimonio nemini interdixerunt, quae ver-  
ba funt *Sleidani L. III. Comment. p. 436. edit. Argent. 1557.* Neque ta-  
men diffimulare poffum, *Lutherum T. II. Alt. f. 299. ff. de adoratione*  
*faceramenti corporis Chrifti* inter alia, propter quae *Picardos* repre-  
hendit, in ipsis quoque culpate, quod feptem ftatuant Sacramenta,  
& miniftros ecclefiac a matrimonio prohibeant

§. III. Sic re multis facerdotum flagitiis communibusque querelis  
exacerbata, Deus optimus mifit *Lutherum*, qui remedia tot malis af-  
ferret. Equidem ante 1521 ea de re cogitatum vix eft, quod & ali-  
quantum meticulofus effer, & hinc errorum Papifticorum copia illiac  
aduertariorum latrationibus impediretur. Anno autem ifto & infe-  
quente magno cum feruore res agitata. *Erafini Declamatio de laudibus*  
*matrimonii* fententia haec fuit. *Mibi sane videtur non peflene confulturus*  
*rebus & moribus hominum, qui facerdotibus & monachis quoque, fi res ita*  
*ferat, ius indulgeat coniugii.* Qua re monachorum reprehentionem in-  
currit. Namque *L. XVII. ep. 24.* anno 1521. commemorat de inepto  
concionatore, quem *Brugis* audierat, fe propterea pungentem, quod  
in declamatione plus aequo videatur matrimonio tribuere, tandemque  
in haec verba definentem: *Quidam coelibatum damnant, imo nifi nos coe-*  
*libes fuiffemus, iam Chriftiana fides effer extincta.* *Vitebergae* autem *Car-*  
*rolltadius & Phil. Melanchthon* praeceptis atque *Bartholomaeus Bernbardii*  
a *Feldkirchen* fuo exemplo matrimonia facerdotum reftituere nitentantur,  
abfente tum & *Vartburgi* latente *Luthero* imo nec auctore, nifi quod  
iam in lib. *de Captiuit. Babyl.* ita de confiliis Euangelicis difputet, vt fum-  
mopere increpet facerdoes, quod vitae genus fibi arrogarent, quo  
plus praefare viderentur, quam *Chriftus* exegiffet, vt haberent quo  
praecellerent populo. Nam *Carolltadius* edidit *quaterniones*, & alius  
quidam, *Feldkirchensis* forte, nihil enim certi potui reperire, *dialogos*,  
quibus vota caftitatis temeraria foluunt. De vtroque *Lutherus 1521. d. 6.*  
„*Aug. ad Spalat.* ita iudicat. Bone Deus, noftri *Vitebergenfes* etiam ma-  
„*nachis* dabunt vxores. - *Dialogorum* auctor non fatis habuit ingenii,  
„*fatis* eruditionis. Et vtinam *Carolltadii* quoque fcripta plus lucis  
„*haberent*, cum & ingenii & eruditionis magna vis in eis fit. Sed  
illi conatus fere intra vota fubfiterunt, & *Lutheri* reftauratoris mi-  
nifterio haec etiam in parte Deus voluit vt

§. IIII. Quantopere autem *Lutherus* de iis praecipue, qui vo-  
uerant caftitatem, initio dubitauit, quantaque lufta & contentione ex  
ifta dubitatione euafit, par eft confiderare. Iam ante d. 29. Iun. 1521. de

de matrimonio sacerdotibus concedendo certus erat. Extat enim L. I. ep. 238. p. 343 fragmentum epistolae ad Melanchthonem datae a Luthero. Cum de sacerdotibus Paulus liberrime definiat a demonibus esse prohibendum eorum matrimonium, & vox Pauli sit vox maiestatis diuinae, confidentiam in ea esse non dubito. Melanchthonem omnia pessima mentem erigit. Quid ergo trepides hanc sententiae diuinae concedere etiam aduersus portas inferi. De votis monachorum autem soluendis eidem obicienti iusiurandum Israelitarum, Gibeonitis dictum & seruatum, seruandum omnino fuisse respondet, quia nihil ibi contra Dominum factum est. Coelibatum vero mere humani statuti esse, quod homo, qui statuit, soluere possit. Sicut autem certus erat de sacerdotum coelibatu, ita in monachorum votis dissoluendis haeret, atque dubitat. Talem, inquit, sententiam de monachis cum non habeam, non est tutum idem de iis asserere. Neque enim ego audentem sequi, quare nec alteri consulere, ut sequatur. Vtinam hoc facere possimus, ne ulterius quisquam monachus fieret. --- scandalo vitanda sunt, ubi non est manifesta scriptura pro nobis. Illud quidem fragmentum, quod diem, quo Epistola data est, adscriptum non habet, ante d. 29. Iun. scriptum esse, exinde apparet, quod hoc die ad eundem Philippum se concessisse sacerdotibus coniugium scribit. Ibi argumenta Carolstadii, alterum nescio quale ex 1. Tim. V, 19. defumptum, alterum quod melius sit nubere quam vri, parum se probare indicat. Neminem scire, an eras vratur, qui hodie vratur. Nam ego nec sacerdotibus coniugium dederim, nisi Paulus erroneam & daemoniacam & hypoetricam & Deo damnatam vocaret. Optat tamen etiam monachus succurrere. Miseret me, inquit, miserabilium hominum pollutionibus & viciis veneratorum iuuenum & puellarum. Ante d. 6. Aug. in literis ad Philippum suum missis L. I. ep. 239. p. 346. mire luctatur, nec tamen potest eniti. Denuo improbat argumenta Carolstadii tum priora tum noua. Vellem a vobis nihil prodire, quod obscuris atque ambiguis scripturis nitatur. Ipse alia argumenta afferre & substituere conatur. Non posse probari, quod castitas sub voto cadat. 1. Cor. VII. arbitrio hominum relinqui. --- Statutis hominum non posse ordinari, nisi inspirante Satana. --- Periculam est vouere castitatem, sed ideo non valere quis asserat. Potuisset & libere castus viuere. Act. 15. propter impossibilitatem Petrus reiecit onus totius legis. In quo sibi ipse respondet, habuisse illam mandatum coeleste. Pergit tamen, monachos a Satana seductos vouisse forte, saltem magna ex parte. Nullo oraculo, signo, testimonio probatum habemus, Deum vouendi hoc placitum habere acceptum. Tot animas perire inuitas, & necessario, quibus poterat optime consuli. Videt argumentorum suorum pondus. Prorsus, ait, mihi omnium istorum rerum dilatio aliqua facillime creditur, sed quae nondum apparent vobis. Si enim Christus praese-

praesens esset nobis, non dubito ridicula ista dissolueret. Maxime tandem confidit in eo, & argumentum magnum vocat, quod hoc votum nunquam est probatum infra 14. annos, etiam apud homines, ut scilicet votum in totam vitam sit illicitum. Quis vero certos facit, quod post 14. annos vitam valeat in totam vitam. Deus tacet, homo nescit. Deum tamen esse Deum consilii, non Deum temeritatis & incertitudinis. Vides quantis regere rationibus, & tamen statuere in his nondum feliciter possum, nisi quod iuuare conatum vestrum valde cupiam. - Nescio quae nubes pompae huius & opinionis humanae male me hic vexet. Hanc quoque epistolam ante d. 6. Aug. datam ex eo apparet, quoniam modo se accepisse Carolstadii quaterniones nunciat, quod idem facit in literis isto die ad Spalatinum scriptis. Cui cum d. 15. Aug. quoque scriberet, Carolstadio indignatur, quod non melioribus argumentis pugnet, atque euentum rei timet. Quid periculosus, quam tantam turbam prouocare coelibum ad nuptias tam infidus & incertis scripturis, ut postea conscientiam perperua diuexerit & peiore, quam nunc, cruce. Opto & ego coelibatum liberum fieri, sicut Euangelium exigit. Tandem d. 8. Sept. postea quam diu multumque hac in re iudicanda laborauerat, sententiae suae veritatem fortiter demonstrat, Philippum vero nitentem argumentantemque refellit, ita tamen, ut argumentationem eius perficiat, & tandem eidem confidat. Argumentatus erat Philippus, vota soluenda esse, quia seruari nequeant. Pari autem ratione praecepta diuina reiicienda, monet Lutherus, quae aequae ac vota ista nequeant custodiri. Porro dum Philippus existimat, vota reiicienda esse, quia veterum seruitus aliena sit ab Euangelio, & spiritus libertati aduerferur, acutissime instat Lutherus, spiritum liberum quoque omnibus legibus se posse subicere. Hoc esse partem libertatis. Sic alienis destructis sua proponit firmissima argumentatione. Quicumque vouit animo contrario Euangelicae libertati, liberandus est, & anathema sit eius votum. At qui vouit animo salutis aut iustitiae quaerendae per votum est eiusmodi. Ergo vota illa dissoluenda esse concludit. Eodem modo Paulum in epistola ad Galatas data in circumcisionis necessitate destruenda veritatem esse obseruat. Omnia denique huc redeunt, quo animo quilibet vouerit considerandum esse, id ipsum vero cuiuslibet conscientiae relinquendum. Sed hunc ipsum scrupulum tollit p. 359. L. I. ep. 245. ad Philippum quia vita monastica pugnat cum Euangelio, dum discernimen facit in cibis, vestibus, potibus, locis, personis, operibus, gestibus, quae Christus libera esse iussit, vota esse nulla putat, siue pia siue ueneris opinione

S. V. Sic dicta sententia & controuersia decisa in publicum prodire veritus non est. Quamobrem & theses misit ad Philippum d. 26. Dec.

Dec. 1721. typis imprimendas, sequenti demum anno editas, quae T. I. Lat. Ien. f. 525. habentur, & libellum de votis monasticis consignavit, patri suo d. 21. Nov. dedicatas T. II. Lat. Ien. f. 504. ff. Omnia autem breviter & summatim complexus est in concione vom ehelichen Leben 1522. T. II. Alt. f. 208. quam sententiam repetiit in lib. de vitanda hominum doctrina 1522. T. II. Alt. f. 135. ff. & denuo vindicavit in Antimaduersionibus in concionem quandam Provincialis ordinis Praedicatorum 1523. T. II. Lat. Ien. 594. ff. & alibi data occasione saepius. Quem summum auctorem secuti plures sunt. Ita enim Phil. Melancthon eodem in argumento Apologias duas pro Bartsolomaeo Bernbaridi scripsit, quae extant. T. II. Ien. Lit. f. 264. Quas licet b. Eenstkingius in vita Bernburdi Germanice consignata p. 32. ab hoc ipso suadente tantum Melancthone, auffjurathen, confecta esse tradat, Seckendorffius tamen L. I. S. 104. p. 170. Melancthoni soli iure vindicat. Io. quoque Pomeranus 1525. volumen satis amplum de coniugio episcoporum & diaconorum conscripsit Latine, id quod deinceps Stephanus Rothius Luicouienfis vertit Germanice. Nec praetermittendus labor est Lic. Io. Klingenbeilii in Lusatia, qui 1528. iridem de clericorum coniugio scripsit, quem libellum Lutherus praefamine suo commendavit & ornauit T. IV. Alt. f. 454. Nec minus laudabiliter alii cum e nostris tum ex Zuinglianis partibus hoc in argumento laborarunt. Equidem hi duces, quem sequantur, habuerunt in Zuinglio ipso, quem cum Hugone Episcopo Constantiensi 1522. ea de re disceptasse commemorat Sleidanus L. III. p. 41. b

§. VI. Itaque Lutheri aliorumque argumentis conuicti & confirmati plurimi cerratim e sacerdotum ordine Papae vincula abiecerunt matrimonium ex legibus diuinis ineuntes. Primus omnium Bernbaridi Feldkirchenfis ille, Prepositus Kembergensis, vxorem ducere ausus est d. 24. Aug. 1521. Cuius exemplo excitati Pastor Hirschfeldensis & Io. Schwelinius adhuc 1521. Andr. Carolstadius 1523. hinc Iustus Ionas, & Io. Pomeranus, Spalatinus, Linccius, demum ipse Lutherus alique, quorum numerus inire nequit, ita vt Lutherus iam 1527. mense Iulio L. II. Ep. p. 139. b. ad Spalatinum scribens, queratur. Mihi molestissimum est, huc tanto numero volare defectores monachos & quod magis mouet, statim vxores ducere, cum sit genus hominum ad res gerendas ineptissimum. Pallaucinus autem L. IV. c. 8. commemorat. Aleandrum, cum legatus ad Ferdinandum Romanorum Regem a Pontifice mitteretur, 1538. in aditu Germaniae ad mille quingenta sacerdotia curata inuenisse, quae penuria Catholicorum sacerdotum vacarent. Cuius rei causa vix probabilior reddi potest, quam quod plerique se ad matrimonium conferrent. Neque tamen libidinis explendae causa id ab omnibus factum est. Sed complures conscientiae suae consulentes, eas, quas antea habuerunt, concubinas, nihil hominum veriti sermones, honesto

nesto matrimonio sibi deinxerunt. Ita de Antonio, Pastore in S.  
*Thomae aede Argentorati Gerbelius* Iurisconsultus scribit 1523. d. 21. *April.*  
 quod eodem die elegantis formae concubinam aliquot annis ha-  
 bitam in templum S. *Laurentii* multo comitatu deduxerit, & solemn-  
 ritu sibi iungi curarit, perorante ad plebem in matrimonii commen-  
 dationem *Celso*, & quodam ex populo acclamante. *Reste fecit, Deus*  
*illi mille bonos annos.* Quem quidem *Antonium Firminus* fuisse ex *Scul-*  
*zeti Annalibus Euangelicis Dec. I. p. 171.* colligitur. Alii inprimis pro-  
 pterea vxores duxere, vt, quod docuerant, exemplo comprobarent.  
 Ita nihil minus quam de nuptiis cogitans *Lutherus*, ad exemplum praec-  
 bendum & vt aegre faceret mundo, duxit *Catharinam Boyam.* vid.  
*Seckendorffius L. II. p. 26. §. 8.* *Conradus* autem *Pellicanus* 1526. iam an-  
 nos natus quadraginta & octo, ne scandalo esset, vxorem duxit, quod  
 commemorat *Melchior Adams* in eius vita p. 262. ff. Ex monachis &  
 monialibus multi conscientia vrgente vel sponte e monasteriis elapsi,  
 vel a parentibus suis illis vinculis, quibus constricti tenebantur, libe-  
 rati sunt. Quibus rebus effectum est, vt monasteria deserta maxima  
 ex parte a principibus deinceps inuenirentur. Ita *Schwarzenbergius*,  
*Franconiae Baro*, filiam e coenobio retraxit, quod factum *Lutherus*  
 epistola insigni nobilitauit *T. II. Altenb. f. 515.* Ita sub initium anni  
 1524. in Thuringia nobilis virgo quaedam *Florentina ab Otter-Veymar*  
 monasterio, in quod sex annorum puella a parentibus intrusa erat,  
 elapsa fugae suae historiam scripto publicauit, quam deinde *Lutherus*  
 anno insequenti praefatione & episcopi addita dignam iudicauit, quae  
 imprimeretur. Insigne inprimis exemplum est decem moniali-  
 um *Nimptschensis* coenobii, inter quas *Catharina Bora* quoque  
 fuit, quae 1522. egressae claustris suis & a *Luthero* aliquamdiu susten-  
 tatae sunt. Qua de re extat cum peculiaris liber ad *Coppenium* ista-  
 rum liberatorem *T. II. Alt. f. 310.* tum epistola ad *Spalatinum*  
*L. II. Ep. p. 131.* Nec ita multo post sedecim virgines e coenobio  
*Wiederstetensi* in comitatu *Mansfeldensi* exierunt conf. *L. II. ep. Lutheri*  
*p. 139.* Nec illustrium virorum desunt exempla. Nam & *Alberus*  
*Brandenburgicus* ordinis *Teuronici* magisterium cum ducatu *Borussiae*  
 permutauit, & vxorem duxit 1525. vid. *Seckendorffius I. c. L. i. Sect. 6.*  
*addit. p. 293.* & *Alberti* frater *Guilielmus Archiepiscopus Rigensis* fuit ma-  
 ritus, videatur idem *L. II. §. 6. p. 22.* Inter laudes autem *Georgio a*  
*Polenz, Episcopo Sambienſi* in epitaphio eiusdem relatas non postrema  
 haec est. *Factus deinde maritus est paterque.* Id quod commemorat  
*Hartenochius, L. II. cap. i. p. 308.* Taceo matrimonium *Gebhardi*  
*Truchsessis Archiepiscopi* & *Electoris Colonienſis*, quod *Lutheri* aetas non  
 vidit.

vidit. De Alberto quoque itidem *Archiepiscopo & Electore* spem habuisse *Lutherum*, potest intelligi ex *T. III. Alt. f. 138. ff.*

§. VII. Ista quidem maxima ex parte priuato consilio gesta sunt. Sed etiam publica auctoritas accessit. Namque in *Visitatione Saxonica* a *Ioanne Electore* instituta 1533. cum visitatores deprehendissent, *Canonicos* omnes *Vicariosque* plurimos matrimonia iniisse, eos, qui concubinas alebant, ad ducendas vel dimittendas eas adegerunt. Idem in *Dynastia Ruthenica* factum, ubi concubinae fere ab omnibus pastoribus alebantur, & erat in pago *Baren*, qui ex duabus fororibus sex liberos genuerat. In *Schwartzburgica* quoque ditone sacerdotes plerique concubinis sine omni pudore utebantur, quasdam ab aliis maritis abductas. Qua de re testatur *Seckendorffius L. III. addit. 3. §. 25. p. 70.* Nec minns alii *Principes* publicis legibus voluntatem suam declararunt. Sicut enim *Ioachimus II. Elector Brandenburgicus* in *constitutione Ecclesiastica* cap. de matrimonio ait, quoniam frustra expectasset, ut *constitutio Calixti de coelibatu cleri* antiquaretur, se abrupta cunctatione iure *Principis* decernere, ut coniugia clericis permittantur, nemo tamen ad ea cogatur, qui coelibatum caste seruare possit, ita *Fridericus Daniae rex* iam ante 1527. in *comitiis Orboniensibus* regni senatus auctoritate statuit. *Monachis & monialibus* aliisque *sacri ordinis* liberum fore, claustra sua desere, & quoquo vellent, se conferre, imo pro libitu coniugium inire. Id quod ex *Conr. Aslaci* historia refert *Seckendorffius L. III. §. 31. p. 38.*

§. VIII. Neque tamen res ista caruit difficultate. Neque enim tum temporis ob alias causas sacerdotes ab episcopis suis grauius vexati sunt, quam propter ductas vxores. Quo factum est, ut episcopi carceribus, exilio & nullis non tormentis sacerdotes ad vxores adigerent dimittendas, hi e contrario apologiis quam plurimis, *Lutherus* vero deprecationibus imo & minis episcopos a crudeli proposito auertere niterentur. Ita *Nicolaus Claus*, *Schmiedebergensis* pastor, ob solam coniugii suspicionem mirum in modum ab *Episcopo Misnensi* premebatur vid. *Seckendorffius L. I. §. 124. p. 202.* Satis mirari autem nemo potest literas *Spiritus & minarum* plenas ad *Albertum Moguntinum* a *Luthero* licet tum latente & periculis maxime exposito, 1521. d. 25. *Nov. Scriptas Tom. I. Alt. f. 925*, quibus illum ob pastorum matrimonii constrictorum vexationes & summo opere increpat, & adigit, ut sacerdotem propter coniugium carceri manciparum vinculis liberaret. Quae autem controuersiae *Argentorariensis* cum *episcopo Constantiensi*, & deinceps eum *Campegio Pontificis legato* hac in causa intercesserint, exponit *Sleidanus L. IV. p. 54. b. f. §. 3.* Quanquam autem

Episcopi magno cum furore in sacerdotes uxores ducentes fauebant, ita tamen nostri & praecipue *Lutherus* de sententiae suae veritate conuicti erant, vt ab ea nihil omnino remitterent. Cum enim *Augustae* in comitiis 1530. ecclesiae nostrae doctrina in confessione publice esset proposita, atque deinceps concordia quaedam a *Caesare* tentaretur, Theologi nostri consilium suum Principibus veritatem euangelii agnoscantibus tradiderunt, apud *Coelesinum* T. III. f. 31. ff. vbi inter sex capita, in quibus concedi aduersariis nihil posse affirmabant, vltimum erat de coniugio sacerdotum, *Lutherus* autem f. 38. b. consultus eadem in causa respondit. Coniugium nullo modo prohibere vel possimas vel debemus. Cessit tamen aliqua ex parte *Philippus Melancthon*. Hic pro suo concordiae studio in consilio in Galliam transmissio 1532. Vol. I. *Consiliorum a Pezelio editorum* p. 224. coniugia quidem sacerdotum prohiberi non vult, concedit tamen, vt non nisi coelibes episcopi eligantur. E contrario Pontificii plurimum a feruore suo remiserunt, & magna saltem ex parte rei veritatem agnouerunt. Namque iam in comitiis *Augustanis* ipsis non solum *Henricus Brunsvicensis*, alias *Protestantibus*, infensissimus, coniugium sacerdotum probabat, quod *Seckendorfius* commemorat L. II. §. 6. 66. p. 171. sed etiam hic ipse L. III. §. 66. tradit, in comitiis *Augustanis* 1530. postulatum fuisse a *Protestantibus*, a non nullis etiam ex altera parte, vt prohibitio coniugii tolleretur. *Georgium* quoque *Saxoniae* ducem, si consiliariis eius credendum sit, voluisse clero coniugium libertatem a Pontifice & episcopis stipulari & pacisci, idem eodem in loco refert. Sed *Guil. Bellaius*, *Langaei* Dominus *Galliae* regis legatus 1535. *Smalticaldiae* regis sui nomine proponebat, sperare regem hoc se impetraturum a Pontifice Romano vt pueri intuentur docendi, sed ne ante annum trigessimum vel quadragessimum ad vota monastica cogantur, sed vt liberum sit ipsis desistere, si necessitas tulerit, monasteria, & uxores ducere. item regi placere, vt *Protestantium* sacerdotibus coniugium relinquatur, reliqui autem & futuri maneant in coelibatu apud *Seckendorfium* L. III. §. 38. p. 145. *Viellus* praecipuus pacis auctor 1539. non improbane *Georgio Saxoniae* tum inter concordiae obtinendae vias etiam illud asserbat, coniugia sacerdotum libera relinquenda esse l. c. p. 211. §. 62. *Ecquis* autem putaret *Ioannem Cochlaeum* maledicentissimum hominem hac in re a solito furore suo aliquid remisisse. Ille tamen in consilio Ferdinando Regi *Hagenoae* suggesto multa loquitur de *Protestantium* doctrina, articulo autem XXIII. fatetur, apud nos Germanos almodum frequentem esse scandalosum *Presbyterorum* in seculo concubinatum praesertim apud plebanos in pagis, qui communiter cum ancillis rem domesticam gubernant.




bernare necessitate quadam cogantur, ubi stramen, ut dicitur, igni propinquum sit, ibi leui casu accendi posse. Deinde etiam iudicat ar-  
 ticulum hunc indigere graui & matura consultatione. Extrat illud con-  
 filium apud Raynaldum T. XXI. sub anno 1540. n. 49. ff. Quod qui-  
 dem non faceret, si doctrinae papisticae firmum adeo atque immobi-  
 le nosset fundamentum. Sed haec priuatorum forte hominum con-  
 filia atque conatus viderentur. Itaque 1541. in colloquio Ratisbonensi  
 cum auctoritate Caesaris approbatus liber proponeretur ad disceptan-  
 dum de doctrinis controuersis, auctores huius libri facti sunt, in cler-  
 icorum coniugio recentiores veteribus rigidiores fuisse, neque se repugnare,  
 si aliquid relaxaretur. De ipso autem colloquio d. 24. Maii Saxonici  
 legati Electori Principi suo retulerunt, catholicos coniugium sacerdotum  
 pro indifferenti habuisse, teste eodem Seckendorffio nunquam satis lauda-  
 to L. III. p. 359. & 361. §. 88. Ipse Caesar Carolus. V. in formula in-  
 terimistica 1548, etiamsi tum comitia essent armata atque omnia vi  
 agere videretur, de sacerdotum tamen coniugio nihil ausus est defi-  
 nire, sed concilii decretum expectandum esse iudicauit conf. Sleida-  
 nus L. XX. p. 370. b

§. VIII. Ne quis autem existimet, *Lutheri* operam tantummo-  
 do in clericorum coniugio resituendo subfuisse, neque Christianos  
 omnes ex hac eius doctrina aliquam percepisse vtilitatem, aegedum  
 paucis demonstrabimus, quibus vinculis, omnium piorum conscien-  
 tia a Papatu fuerint constrictae, & quo iugo deinceps liberatae sint.  
 Itaque liceat mihi tantummodo in medium asferre vnam concionem  
*Lutheri vom ehelichen Leben T. II. Altenb. f. 210.* Cum enim *Lut-*  
*herus* ibi exposuisset, tredecim esse causas in quibus Papa coniugium  
 hucdum prohibere sit ausus, ex tredecim illis capitibus quatuor omnia  
 iusta & diuinae veritati consentanea esse iudicat, reliqua omnia suo  
 relinquit auctori, & Christianae aduersari libertati testatur. Sic re-  
 iicit cognitionem spirituales; cognitionem ciuilem, quae ex ado-  
 ptione oriatur, vota, sacerdotum consecrationem & coactionem. Ne-  
 que iusta coniugii impedimenta esse iudicat, si cum infideli & non  
 Christiano homine, si cum seruo atque mancipio, si denique cum  
 eiusmodi homine matrimonium contrahendum sit, qui criminis cu-  
 iusdam grauioris aliquando fuerit reus. Iure vero prohiberi ma-  
 trimonia concedit, in quibus vel consanguinitas vel affinitas inter-  
 cedat. Si quoque aliquando error in matrimonio contracto inter-  
 uenerit, aut sponsalia cum alia quadam femina iam antea fuerint  
 peracta, recte eiusmodi matrimonia dissolui ostendit. Equidem  
 cum

3

cum a Papa coniugium cum infideli incundum prohibeatur idem au-  
tem scripturae disertis verbis contrarietur, a Luthero etiam demon-  
stratum sit, ecquis dubitabit grauissime peccasse *Anabaptistas*, qui iam  
Lutheri tempore errorem istum reuocarunt, quod *Melanch-*  
*thon* commemorat apud *Seckendorffium* L. III. S. 42.  
addit p. 157.







ULB Halle

004 503 04X

3



7A 70L 014R  
dün







DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
STATV  
AVSARVM  
MATRIMONIALIVM  
EMPORE REFORMATIONIS

QVAM  
ANNO MDCCCXXVIII. D. XIII. SEPT  
SVB PRAESIDIO  
CHAE LIS HEINR. REINHARDI  
PHILOSOPHIAE MAGISTRI  
DEFENDET  
RESPONDENS  
DER. CHRIST. BAVMEISTERVS  
SACROSANCTAE THEOL. STUDIOSVS

VITEBERGAE  
LITERIS GAEBERDTAE, VIDVAE

27/11  
57

1124 23

(2.)

